



P. Caselius.

Tychostror

*nuptiis Henr. Julii Guelfici
et Elisabethae, Cimbricæ.*

Helmaïst. 1590.





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
[N bis 299 [35,-184 4']





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 299 [35,-184 4"]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
[N bis 299 [35,-184 4"]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
[N bis 299 (35,184 4*)]

$\frac{1}{3} = 0 \div \frac{2}{6} \frac{1}{3} = 6$

35, -184 - 40

DA BOX

(LN bis 293)



Nuptijs
HEROIS HENRI=
CI IVLII GVELFII
&
HEROINAE ELISABE=
THAE CIMBRICAE
ΤΡΙΚΟΠΕΙΟΝ
Ioannis Caselii.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius Mense Aprili
Anno CIO. IO. XC.



Ioannis Caselii
ΤΡΙΚΟΠΕΙΟΝ.

ELMANA sese commouerat à Bru-
cteris ad boream, comitans iuuenem
heroa HENRICVM IVLIVM. Volebat
enim illa, ei praeo esse, cui plurimum
deberet. Intelligit enim, se huius auspicijs deinceps
ita coli & longè gentium, & in his potissimum locis,
ut antè fuisset ab eiusdem patre, heroè IVLIO dedica-
ta. Vbi aliquot dierum itinere confecto, in Mega-
polin venit, ad Varnum substitit, salutatum sororem
Rhodontiam, cui nulla quoq; antehac gratior hospes
illa venerat. Proferebantur, ut fit, epula lautissima:
ii erant sermones de aliqua parte sapientiae, eruditis
conspersi salibus, varij & perpetui, ut somnum obli-
uiscerentur id temporis. Quibus cum se oblectauis-
sent, nec ad satietatem tamen, quarum non esset sati-
as, & quid haberet in animo, aperuisset Elmana, co-
mitem se sorori adiunxit Rhodutia, tum ut honorem
heroi VLIRICO & ipsa haberet, de se merito & me-
renti optimè: tum ut ambæ conuenirent sororem Li-
menin, prater quam trans mare non esset alia è caelo

A 2

sapient-

sapientia preses. Ambae pedibus ibant ad X. M. pas-
sum, in ostium Varni: ubi conscendunt nauigiū cum
virgineo comitatu: hac maris non insolens, ut quæ
uentitaret ad sororem sapius: illa mare oculis nun-
quam aspexerat, etsi cælum & terras & maria o-
mnia animo perlustrauerat. Nec magis ergo ventos
& tempestates, & scopulos ipsa metuit, quàm altera.
Cælo igitur sereno, tranquillitate incredibili, vento
ita secundo, ut remiges quiescerent, deferuntur in
portum aduersi littoris. Ibi Rhoduntia: In lit-
tore, pedem fiximus, inquit, Dania: nec longe absu-
mus à Limenidos sororis fano: atq; eccam ipsam cum
coetu virginum, nobis prodeuntem obuiam. Illam
ne virginem, inquit Elmana, amictu æquè candido,
uti nos sumus. Hic hæc effata erant, cum, non
properè, accurrit Limenis, hospites amplectitur: Ut
mibi grata sitis, inquit, non ex oratione, sed & re
ipsa cognoscite: sequimini me: non ædificii mole, sed
scientiæ studio sacra est hæc ædes: quantulacumq; non
magis mea, quàm vestra est: quod tu non nescis
Rhoduntia: tu crede mihi, Elmana, & huic. Quin
rem videte: tres sumus ipsæ: templo tres turrets impo-
sui: intus sunt sella totidem: nomen à numero nostro
Trico-

Tricorèon feci: vos mihi sacrum arbitramini: ego
utrius vestrum, immò utriq; sentio: vel, quod cum
re maximè consentiat, commune sit tribus: nefas, ut
dixi, mihi plus hic esse iuris, quàm vestrum alteru-
tri. Quod videtis oculis, id nihil est: nec de fani
communicatione quid arroganter dixerò. Animo
vestro animum meum contemplanini: quem si pro-
batis, atq; ut probetis, semper enitar sedulo, vester est:
ipsaq; eo ipso, quo sum, quæ sum, vestra sum, vosq;
pro meis habeo. His dictis altera hospitem, dum
parat respondere, in vestibulo iam fani erant. Itaq;
quod amba habebant, ut dicerent, id sentiunt: Et o-
mnia tamen Limenis accepit, siue è vultus suavitate,
siue è silentij modestia. Ite intro, inquit, epula-
rum hic satis est. Fertis enim ipsæ quoq; non minus,
quàm inuenietis domi meæ. Quod videbitur, de eo
inter nos sermo erit hodie. Sequimur, inquit
Rhodontia. Placetne igitur, inquit Elmana, ut
nostræ virgines cum tuis in hortos istos amenos, ut
apparet, digressæ, ludant, aut inter se fabulentur?
Immo suscipit Limenis: ut Et ipsæ se nobis ca-
ras esse intelligant, veniant unà: area templi plures
capiat: nec aliud sibi vult, quod hæc semper aperta fo-
res:

res: ingredi licet cuius bono: alijs hoc templum ter-
rori est vel ridiculo. Introeunt: ingressa ubi fue-
runt, hospes longinquam & nouam hospitem primo,
secundo loco vicinam collocat: ipsa tertio confidet:
virgines ordine circumstant: immò nullo ordine, ut
pares, modestè & silentio, quo altius non fuit in ma-
gna Græcia quinquennij. Intus nec ebur, nec aurum,
nec signum cerneret, neq; tabulam: ex animum nihil,
viva omnia, pellucida omnia. Illa regum sunt, dea-
rum alia: quod neq; poeta ignorat, dum regiam
Menelai pingit. Quoniam, inquit Limenis, ali-
mento non nutrimur alieno, Iuventas nobis ministra-
bit nectar. Etenim tu Elmana, qua haberis natu mi-
nima, mihi annis par es: & ego Rhoduntia, quam
vulgus censet natu inter nos maximam: hæc ita pu-
ella, ut ipsamet, tu, ut ego. Non enim cura nos ille
anxia honoris & opum exercent: satis dignitatis re-
mur in virtute & sapientia: diuitias non in arca re-
conditas, sed ex ingenio depromptas habemus, aut
certè in promptu, quas nobiscum inter nos & cum alijs
communicemus. Video vos & pernoui: facite quoq;
ut vos audiam, vel gratia circumstantium: qua
est concio sacerrima. Rhoduntia excipit: Hanc
volu-

volumus audire, quam antè non audiuimus. Au-
dientis me, inquit Elmana, sed vos praete principes.
Sed ego eadem curiosior, quas epulas primum inferri
iubeatis, cupio cognoscere, siue cuiusmodi neectar
fundi, ut hospes nostra modò loquebatur. Igitur Li-
menis: Rhoduntia hoc munus delegabimus, ut iu-
beat nos dicere, quod videatur. Etenim quid deceat,
ipsa nostrum tenet maximè.

Ibi, cum annueret
Elmana, Rhoduntia: nec mea hospiti refragabor, nec
comiti: etsi amba scitis, quid huic loco & huic tem-
pori conueniat. In nuptias nos quoq; (etsi à paucis a-
gnita, à primis tamen minimè neglecta venimus.)

HENRICI IULII herois Guelphij, & ELISABE-
THAE heroinæ Cimbricae. Est hic etiam è suis nuptiis
nouus maritus IACOBVS, rex Scotia: est VLRICVS
dux Megapoleos, sponsæ utriusq; auus, uterq; mari
hospes, hic vicino Baltico, ille longinquo Britanni-
co: sunt regia gentes plures & regum ducumq; lega-
ti. Sed hoccine aliquam vestrum fugiat? quod ocu-
lis hic quisq; videt, & per septentrionem adeoq; longi-
us vulgus audiit. Desiderant alij duos, qui putaban-
tur principes ante biennium futuri in hisce nuptijs.

Sponsæ patrem, a ii Elmana non ingrata inter-
pella-

pellatione, dicis & sponsi patrem, heros duos, regem
FRIDERICVM & ducem IVLIVM. Rectè acci-
pis, inquit Limenis. Sciebat FRIDERICVS heros,
sibi futurum generum, quem generum non vidit. In
prima enim, sed certa tamen illorum consiliorum te-
la, ex mortalibus abiit, quod nec ipse putarat, nec fe-
rè quis omnium metuerat. Ipsi anni duo sunt hoc A-
prili. De nuru certissimus erat heros IVLIVS, quam
nec ipse vidit. Etenim, cum superiore autumno Fa-
ti monitu omnia demandasset filio, & ipse è mortaliū
consuetudine exemptus fuit: quo mēse ille sponsam do-
mum ducere decreuerat: qui annus erit mense altero.
Ego Maio futurū reor, ut hinc ad Bruçteros regina
venerit: futurum certo polliceor, ut nostri sermones
innotescant pluribus: quos ut multi paucius probent
nostra referre non arbitror. Neq; enim fas est, stare
quorumq; calculis: nefas, sentire aut effari, quin re-
ctum sit. Mortales illi erant: quod ita natum fuerat,
ut periret olim, terra creditum fuit cum pompa &
luctu. Splendorem funeris mirata fuit plebs, dolo-
rem acceperunt sapientes. Nos, quod non interit,
non conseruabimus, sed obseruabimus, eiusq; memo-
riam sempiternam mortalium auribus & animis
insinua-

insinuabimus. Sic enim virtuti aliquid pramii datur, & sic minores ad virtutem informantur. Nec enim ad posteros tantum pertinent hæc pronunciata in tragædia :

ἔτοι λάψανα τῶν ἀγαθῶν
ἀνδρῶν ἀΦαιρέτην
χρόνον. Ἀδ' ἀρετῆ
καὶ θανῆσι λάμπει.

Nequaquam reliquias bonorum virorum tempus auferet. Virtus autem lucet etiam vita functis.

Sed illa virtutis lux & memoria memorabilium rerum gestarum extinguatur, nobis tacentibus. Nos hoc autem virtuti debemus, & de virtute & sapientia præclare meritis. Antè à nobis fuit aliquid præstitum: faciamus, ut sint in hisce quoq; nuptiis cum latitia: nec attinet, si populus hoc non intelligat: sapientes sine luctu nouerint. Proinde illos producamus: tu, Limeni, tuum regem, tu Elmana, tuum ducem prædica. In vestris enim præconiis magis aderunt, quàm vsquam cum satellitio fuerint. Adeste iam ad imperandum, ut olim loqui solebant: quando ita ambe voluistis. Ibi maior: paremus ultrò, ut & ipsa pro sorore respondeam. Facis, inquit minor, quod debes & quod volo, soror. Sed tu præbis. Namq; rex tuus prior abiit, & eius prior dignitas, & tu maior, & ego, ut subsequar, ex te didicero.

B

Insi.

*Insistam enim tuis vestigiis, quod potero. Tum
Limenis: Quasi in conuiuio musico, cuius ea partes
sunt; prior canit, nec sibi id persuaderi sinit, sed spon-
te facit: ita quod vis, non quia vis, tametsi hac quoq;
gratia, sed quia omnibus de causis debeo, dicam de
FRIDERICO I I. rege Dania, grata ipsa pro gratis
omnibus, multa dicam, non ita multis verbis: nec
tamen, qua dici possent, & sine reprehensione diceren-
tur, omnia. Relinquam enim, qua de maioribus,
de regnorum amplitudine, de rebus secundis FRIDE-
RICI, siue dicta ab aliis sint, siue non dicta. Per-
multa enim in his siue à nemine dum eruta, siue non-
dum omnibus proposita sunt: & memoratu digna,
(quid negem?) & vitæ utilia, si quis usum querat.
Sed quando ita multa hoc tempus non capit, si non
per nosmetipsas, at per alios, iis missis, dicam de re-
gis illius propriis bonis, qui tamen illa quoq; sibi sem-
per propria fecit, omnibus utendo bene: ipsa quoq;
propria delibabo potius, quàm pertractabo, minimè
affectans laudem oratoriam: atq; haud scio, an regi
optimo laudem maiorem tribuere possim, quàm hu-
manitatis. Digna est, fateor, vno quoq; homine hu-
manitas: nec homo sit, à quo absit humanitas. In
quo*

quo enim vultus toruitas, vocis asperitas, sermonis
proteruitas, à quo facta crudelia, vel quiduis iniu-
riarum; ingenij aprorum, luporum & tigrum plus
habent, quàm hominum. Humani sunt, à quibus il-
lius generis omnia absunt: in quibus contra, animus
tranquillus & integer, ex quo fonte lymphidissimo,
sunt in vultu serenitas, in sermone comitas, in omni-
bus rebus rectitudo & beneficentia. Nec vero quis
existinet, qui ab humanitate laudetur, cum tenuiter
admodum, & non nisi vulgari modo laudari: quan-
do quoq; inueniuntur in infimis, qui humanissimi
sint, & iure predicentur: vix aliqua re cum regibus,
vt arbitrantur, comparandi: etsi qui veritatis iudi-
cio stare velit, non inficietur, rectè cuiuscumq; homi-
nis cum quicunq; homine contentionem fieri. Nos
tamen & illud dabimus, & hoc alterum docebimus:
vt minimi maximiq; sint homines, humanitate orna-
ti, ita eorum humanitatem aestimari. Nec enim in-
fimi humanitas laudem exiguam meretur: maio-
rem fortunati beneq; merentis de plurib. maximam
regum conseruantium cura & bonitate sua vniuer-
sos populos, neq; solum singulos benevolentiaq; dignos
ornantium. Hanc ego humanitatem maximarum

virtutum apicem dixerim : nec ei aduerser, qui dei-
tatis particulam esse contenderit. Summus enim ille
Et perpetuus vniuersitatis custos Et conseruator, etsi
in hisce infimis totius partibus perpetua cura sine cu-
ra curat omnia, precipuam tamen gerit pro mortali-
bus, nec eum falso humanissimum etiam sapientes
predicarunt. Cui diuinam hancce laudem tribuo,
eum secundum Deum in caelo colloco, peneq; De-
um ipsum facio: certè hac in parte cum Deo compa-
ro: neq; vos mihi aduersaturas puto. Rex igitur, in
quo humanitas, princeps inter homines, secundus à
Deo est: ne quid eiusmodi dicam, quod homines mi-
nus capiant: nec eò princeps omnium succenseat, cui
quidquid est boni, tamen Et homines Et nosipsa ac-
ceptum feramus. Sed humanitatem regis mei specte-
mus propius. Cui enim ille, nisi pessimo Et profliga-
tissimo, malè voluit? aut potius, cui mortalium, vel
satis bono, non voluit benè? quem ille truculento aut
toruiore vultu suorum vel hospitem intueri visus
fuit? neminem profecto, nisi nocentes Et inuisos o-
mnibus. quæ ille non serenauit adspiciens? Itaq; ubi-
cunq; consisteret, quoque pedem ferret, neminem loco
fugere, multos confertim accurrere videres. Quem
ille

ille à se repulit? quem ille non audiuit? quem in aditu
trepidantem vel nutu vel verbo non confirmauit? cui
non respondit comiter? quem absq³ re aut bona spe
dimisit ex oculis? nisi quis forte sibi desperatus, &
malo quouis dignus foret. Atq³ is erat passim, &
quacunq³ in parte regni, & in alienis prouincijs: nec
fuerunt ficta hac humanissimi animi signa, uti sepè,
vel non leuia beneficia, animo minus beneuolo, con-
feruntur. Facta inter mortales mentiuntur, etsi ab-
surdum videatur, quod res sit, non esse rem: nedum
vultus & oratio. Sed nulla tamen sibi constat simu-
latio: fieri non potest, quin vacillet, cum stare videat-
tur, aliquando antè oculos concidat. Non fallunt,
quæ perpetuo fiunt: quæ itidem uno loco, ut alio.
Priuatus quispiam in forum viamue prodiens, ele-
gans & honestus est: idem fortè domi sordidus, uxori,
liberis, familia grauis, prorsusq³ nihili. Item rex
nullo negotio de bonitate & clementia plebi persuase-
rit. Vulgus splendorem spectat, dextras videt, au-
dit orationem: nec ex alijs iudicat, quàm quæ sen-
sibus capit, quos ipsos habet hebetes: cetera non intro-
spicit, nec hoc factò opus intelligat: nec si attentè con-
sideret, rectè tamen diiudicet: immò sapientes & re-

rum peritos multis in oculos incurrentibus, praesertim
 si inter se illa consentiant, circumscriptos animad-
 uertimus. Quis iste fuerit sub dio, inq³ oculis omni-
 um, dixi: non fuit alius sub tecto in familia, siue ea
 esset amplissima, siue artificissima. nisi fortè melior: atq³
 hoc verbum si dari non licet, in ipsa regia sese fuit præ-
 stantior. Etenim ut à summo ordiar, quis priuatus
 uxoris fuit amantior? de quo ne suspicio in cuius-
 quam animum sinistra irrepserit. Quæ reges cogi-
 tant, multi eos sæpè cogitare cogitant, & pœnè vident:
 quæ faciunt, fama repente disseminat in vulgus o-
 mnia, & re multò maiora efficit. Itaq³ regina, SOPHIA
 Megapolitana, erga ipsum, ut erga Hectorem An-
 dromache, quem sibi omnia esse sentiret, diceretq³ cum
 fingendi locus non daretur.

! tu mi-
 ater es,
 mater,
 frater:
 mihi
 ritus.

ἀτὰρ σὶ μοι ἑὸς ἰπατὴρ ἢ πύτνια μήτηρ,
 ἢ δὲ κασίγνητ' ὅ, σὺ δὲ μοι γὰρ εἰς παρακίτης.

ad omnia non solum quæ iuberet & annueret, sed quæ
 ipse sentiret, paratissima: quod ipsa animo & mente
 heroica intimos sensus mariti semper nosset: ut esset
 inter regem & reginam mutuum imperium bene-
 uolentia. Quis amantior item liberorum? sed hic
 campus non leuiter transilictur: atq³ huic locus erit
 paulo

paulo post. Contineo me in regia, etsi alio quoq³ pro-
perat oratio. Semper est in regia, familia ipsa, & hæc
multiplex: semper hospites (Neq³ enim hoc Ascræus
ille reges docuit: neq³ nullos esse accipiendos, neq³ mul-
tos tamen: in regijs enim quotidie apparent hospites,
raròq³ pauci) hi vero aut reges & principes, aut le-
gati amplissimi, aut privati, vel litteris eruditi, vel
cultores militia. Non agam de exceptione, non de
epulis, non de xenijs, non de deductione: etsi hæc sunt
humanitatis siue signa, siue opera. Sermones tam le-
pidos, quàm graues, & animorum benevolentiam
indicare in promptu est: negotij quoq³ mihi res foret
referre, non omnia, sed aliqua, quemadmodum acta
sunt. In omnes fuit munificus: nec munificentior ta-
men, quàm benevolentior. O gratam vero grati-
am cuius, quæ à gratia proficiscitur. Et Dei fa-
uor & regis animus, pluris aestimantur, quàm quæ
illi in nos conferunt: etsi hic dare potest maxima, ille
in dies cui non largitur maiora maximis: quo ma-
ior ipse omnibus, siue ipse potius, unum, verum, bo-
num. Etiam vero reges quicumq³ fortunatos non
dimittunt sine muneribus: neq³ negliguntur, quorum
operam aliquando in bello requisitum iri suspicentur.

Hic

Hic vero etiam tenuium rationem habuit, exulum
præcipuè & litteratorum. Igitur ad eum utriq; con-
fugerunt, nec facile quis spe frustratus fuerit, nisi cui
fortuna in perpetuum hostis fuisse videatur. Tan-
tum eius erat erga utrosq; studium. Quod ad do-
mesticos, qui semper in aula præsto essent; nemo fuit
inuentus, qui quæreretur. Quod ego non eò prædico,
quòd magnum esse putem: sed quod rarum: etsi qui
sua negligunt, ut principi seruiant, eos negligi ini-
quissimum est. Hic in tempore erant curata omnia,
ut non solum ne qui egerent, sed omnes abundarent:
tum qui operam suam præstarent, tum qui rude do-
nari voluissent. In omnibus autem, aut de repub.
bene meritos, aut huic tam nobili studio deditos, or-
nandos sibi putauit singulariter. Facilius autem
plures æquè beneficos reperias, quàm regem tam ad-
mirabili facilitate & comitate erga suos, potissimum,
quorum fidem expertus fuisset, aut in quibus inesse
iudicaret. Iudicium autem faciebat non ex vita,
quam priuati in multis explorare longum & difficile
regi foret, sed statim ex vultu & sermone utriusq;
si ille constans, hic nusquam hallucinaretur. Timi-
di enim aut mali aut imperiti vitæ sineq; prudentia:
& in

l
a
x
fi
i
r

Et in verbis hesitant, qui vacillant animo: nec ex
lympido fonte, nisi lympidus promanat riuulus. Ani-
mo sui similes amabat, cum his ita fabulabatur, ita
iocos miscebat, ut cum paribus. Quid poterat fieri
humanius, quam ut se ad priuatum, sed in quo vir-
tus eluceret, et in omnibus veritas, demitteret, vel
hunc ipsum secum compararet: non solum præter con-
suetudinem regum et potentum, sed etiam paullo for-
tunatorum aut nobiliorum: immò in tenuioribus sæ-
pè arrogantiam non ferendam deprehendimus. Su-
is igitur moribus se animo esse regio demonstrauit:
molestias perpetuarum in gubernatione curarum fa-
cile deterfit siue minuit: ut duri et tristes contraria
ratione sibi acerbiores, ita hac rectissima ille sibi sua-
uiorem vitam reddidit: immo conuictum omnem o-
mnium suauitate condidit: nisi si quem minimè bo-
num animus malè conscius torqueret: cuiusmodi pe-
stem apud cœlites etiam Erinnyes cruciarent. Acer
etiam erat in hac censura, ut aut nunquam aut raro
falleretur. Studuerat enim ab initio summa dili-
gentia, ἐν πρὸς ἐν, ut Plato loquitur libro de legib. quem
Scaliger diuinum diuinitus nominauit, hoc est, non
minù hoc atq; illud, quod et si utrumq; rectum, tamen
prius absq; altero neq; satis tutum, et imperfectum
C est

est, fulcro prudentia altero destitutum: studuerat, in-
quam, cum ipse sincerus esset & integer, ut talis quoque
haberetur ab omnibus, nec minus atque fortissimus il-
le Pelei filius: deinde, ne ab alicuius adulterini blan-
da fraudiloquentia delinitus, circumscriberetur.
Sape ab improbis falli stupor vel imperitia est: nun-
quam, vix hominis: aliquando, si non perfecti sapi-
entis; haud tamen alienum est à sapiente, eoque homi-
ne nato. Nec falsum, probissimum quemque facile de-
cipi. Quin sit, quando sapiens ad fallaciam commi-
ueat, ne omne officium declinare & humanitatis ob-
liuisci censeatur. Nec equum est, ut detestabile il-
lud ingrati animi crimen beneficentiae cursum retar-
det. Nos quoque de multis bene merita fuimus, aut
bene mereri studuimus: quorum ingratos animos,
etiam prauios, experta fuimus: quos tamen habere-
mus ingratis, si beneficia nostra quantulacumque
non haberent despiciatui. Caterum in regia senatus
regni est: etsi non semper aula septus parietibus, &
in illa & per regni prouincias amplissimus: è cuius
maiestate cum qua ipse maiestate praefulgeret, eam
hausisset, unumquemlibet senatorum, & ut mino-
rem amauit, & ut quodammodo parem veneratus
fuit: quae suaderent, rata habuit: nec res arduas sine
eorum

eorum consilio voluit aggredi: etiam in patres referri optimum quemq, voluit, quo & facilius imperaret & felicius. Tulit autem fructus huius sui animi, siue obseruantia siue humanitatis uberrimos: ex pluribus duo sunt primi, vel instar omnium: quod moniti, & panè ultrò, filium natu primum, CHRISTIANVM, regem designarunt, & postquam pater in his terris esse desit, pupillo regi pro patre rege sunt, & regnum administrant, ut equum est patres patriæ. Alia quoq, commemorem item magna, in quibus regi obsecuti fuerint, testantia summam erga ipsum obseruantiam, & animi ipsorum integritatem, alienam ab inuidia: ut quando regem adiuerunt, ut virtutem in hospitibus non minus ornaret, quàm in suis, nec id opibus tantum, sed & honoribus: sed ille locus ab aliis antè illustratus fuit. Verum certissimi cultus argumentum exiit à morte regis. Videre enim erat tum maximè tristes, veroq, luctu squalidos regni principes, omnium quidem querelas audire, sed horum inprimis liberæ voces: se non regem, sed amicum, non amicum, sed patrem, non patrem, sed fratrem amisisse morte sui regis: etsi patris nomine nihil magis dici potuisse videretur, tamen appellatione nominis fraterni plus humanitatis, ut altero plus sollicitudi-

citudois, indicari censuerunt: ac certè pater ille
fuit non illis solum, qui auctoritate, dignitate, fami-
lia, fortunis, prestarent populo, sed etiam in uniuersum
omnibus in utroq; regno, & Dania & Norue-
gia & utriusq; omnibus prouinciis: nec fuit aliquis
ita humilis ex infima plebe, cuius salutem sibi curæ es-
se non minus, quàm patri salus sit liberum, ostende-
rit: quod cum aliis in rebus omnibus, tum in equa-
bili iurisdictione apparet maximè. Nam sententias
etiam tulit ac res aduersus potentiores, ut iura essent in
omnibus virtus & innocentia. Superest, ut unum
adhuc genus munificentia attingam, quo usus fuit
erga religionem & litteras. Neq; enim sine litteris
explicatur religio: neq; aliquid est doctrina absq; ob-
seruantia numinis: quò & virtus ipsa respicit. Itaq;
ut à patre acceperat, ita ipse quoq; cœlestium oracu-
lorum interpretes nulla re egere passus fuit: tum ut
sacris meditationibus & precibus vacarent, tum ut
miseros ipsi ante omnes subleuarent: ne docere tan-
tum optima vitæ præcepta viderentur, sed ipsimet ex-
emplis populo præirent. Pleriq; enim moribus magis,
quàm oratione ad rectè agendum permouentur. Ve-
reor, ne hic plura flagitetis. Nimis namq; longum
foret, ut cauerit, ne si qua contentiones, ut ultra ma-
re acci-

re accidit, exorirentur, aut si quæ promicarent, premerentur, quasiq̄ suffocarentur continuo. Sciebat enim opinionum diuersitate repente distrabi animos, & ex animorum diuulsione turbas oriri, saepe exitiosas, semper priuatim publiceq̄ noxias. Cursu orationis & ratione ordinis ad me nunc ipsam, siue ad litteras omnesq̄ ingenuas disciplinas venio, quarum me antistitam intelligitis, ut tu Rhoduntia, in maris huius altero littore, tu Elmana loco intra Albim & Visurgim non minus amœno, quàm nobili, amba apud populos Germania fortissimos. Saxones enim præ multis Germania populis et constantia dictorum factorumq̄ & manu valere semper existimati fuerunt. Nihil predicabo de me, quàm pro regni incolumitate semper excubem, fundos colens ingeniorum, & sapientiæ virtutisq̄ semina sollicitè iaciens, ex quibus seges egregiorum facinorū, otij beataq̄ inter mortales vitæ certissima prouenit. Nec meos mystas predicabo: ut ex nutu meo Musis sacra quotidie faciant, nec quis omnium suas partes negligat: nec ipsi velint, nec ipsa patiar. At vos ingenium meum de vestro perspexeritis. FRIDERICI regis curam de litteris, & erga earum magistros regiam munificentiam, ne omnis quidem posteritas satis dignè predica-

re poterit. Ni fallor, exemplo sit longe gentium hac
regis dextra, & in omnes partes reipublica redun-
dans liberalitas. Ad quos enim ordines, ad quae loca
pertingunt littera, inde fugiunt barbaries & miseria:
ibi sedem figunt boni mores & felicitas. Quod cum
ita esse principes & ciuitates partim sapientum mo-
nitis persuasi, partim usu rerum tot annis labentibus
edocti, intelligerent, condiderunt per Europam pri-
marias bonarum artium Academias complures:
quas tamen alij aliis habuerunt liberalius, non solum
ut doctores commodè in otio essent, sed etiam ingenijs
tenuiorum consuleretur. Locupletibus enim ipsa gra-
tis discendi commoditas pro quanto beneficio est?
cum olim fortunatorum hominum liberi sophistis
non exiguam mercedem penderent, quorum arro-
ganti et minuta opera scioli potius et loquaces, quàm
docti & eloquentes fierent. Nunc porro opus est, ut
quae regie fundata sunt, sarta tecta conseruentur, &
sint officina virtutis & sapientiae, integritatis & ve-
ritatis, profligata sophistica cum mendacio, & frau-
de cum petulantia. His enim ubi locus sit, alteris lo-
cus esse non potest. Sequitur, ut in alterum quoque
littus oratione digrediar. Nec enim vel regni am-
plissimi limitibus humanitatem, quaeq; ab ipsa sunt,
officia

officia terminauit, sed illam & ad posteros extende-
rit, ut ex iis, quæ diximus, videre fuit. Verbo etiam
hanc partem complectar: quibus se amicum diceret,
iis erat amicissimus. Quis nescit autem, ut se erga
consanguineos & necessarios gesserit? ut socerum,
VLRICVM, ducem Megapol. pro patre, socrum
ELISABETHAM Cimbricam pro matre coluerit. I-
taq; ex breui interuallo conueniebant: & ille ab auia,
heroïna sapientissima, nepotes neptesq; ab infantia e-
ducari volebat. Nouerat enim illius plus quàm ma-
ternam sollicitudinem. Raro inter reges & magna-
tes, immò inter priuatos humiles ita uiuitur: quò ad-
mirabilior hæc est coniunctio, & laudem maiorem
meretur. Nec omitto fidem regis erga imperium,
quam etiam accuratis litteris paucis ante obitum
diebus declarauit, & cohortans amicos ad necessa-
riam cogitationem, et sua omnia seq; ipsum pollicens.
Eas enim esse in commune caput conspirationes, ea
impendere omnibus pericula: cuiusmodi nisi diuina
bonitas auertisset (miras enim huius biennij conuer-
siones uidimus) multis profecto vicinis gentibus pro-
otio esset calamitas. Itaq; non curiosam, sed sanctam
curam, hodie quoq; meminisse, vel potius in se susci-
pere principes, non ut ipsi aliquid moliantur, quod
fortè

fortè Alecto aliqua consulat, sed se suosq; aduersus
insidias opibus, copiis, consilio muniant; si quid ali-
ud, erat opera precium. Sed ex longinquo in concla-
ue regium reuertor, & ad illud, quod in principio et
modo etiam attingi: quod est humanitatis primum
munus. Nec enim humanitatis genus prius est, nec
maius hoc affectu, quo erga eos sumus, quos genui-
mus. Sed hic amor regibus communis est cum infi-
mis mortalium: in quibus non insit, segregentur à
cœtu hominum & habeantur infra belluas, in qua-
rum multis huius affectus sunt vestigia: sed sine ra-
tione: in hominibus non pari ratione. Qui hac duce
& magistra suos amant, rectè amant: & in his est
humanitas, non nuda aliqua beneuolentia, aut cacu-
tiens, sed oculo perfecta mentis prudentia. Ita & fili-
os & filias charos habuit rex FRIDERICVS. Pro-
inde eam liberorum cepit educationem, quam dixi:
pertexuit ipse feliciter, quamdiu in viuis fuit: illi
reliquæ, adeoq; eorum vitæ prospexit viuus in tem-
pore. Filias enim pubertati proximas destinauit spon-
sis lectissimis, primam heroi HENRICO IVLIO,
Brunsvigensium & Lunaburgensium duci, secun-
dam IACOBO, regi Scotiæ: de quibus ut sit hic di-
cendi locus, supra modum angustus est. Nuptum
dari

dari melius non potuisse, omnes clamant. Ecquis enim regum filiabus duos tales generos inuenisse putetur à multis seculis? De filiis item agam paucis. In omnibus maximum, quòd iis educationem regiam vidit. Quod enim regnum parauit legitimis, ut id ipse adeptus fuerat, modis, paruum erat, & haud scio an bonum, nisi eidem artem gubernandi relinqueret. Non reliquit, sed egit, ut nihil diligentius, ut relinqueret: stare iam vidit filium in vestibulo disciplinae regiae: qui etsi non magnis passibus per aetatem poterat progredi, tamen bonam & patri & regno de se spem commouerat. Quanto plus in se desiderabat, hoc magis urgebat id opus sanctum & necessarium. Sape ex eo, stomachante non leuiter, auditum fuit, ut puer indulgentius habitus fuisset à magistro, quàm oportuerat: eoq; nomine nihil illi gratiae deberi. Ac certè, ut qui quos ad recta vitæ rationem bona fide educant, iis persolui satis dignum premium non potest: ita malum merentur, immò pessimum, qui cum has partes in se susceperint, qualibet de causa aut negligenter, aut peruersè, aut minimè officium faciunt. Videbat enim iam, quanti esset, non indui purpura, dextra tenere sceptrum, caput habere redimitum aurea gemmata corona: Sic namq; etiam in
D fabulis

fabulis leo pingitur: sed vigilare, dispicere omnia non
luminibus illius Argi, sed oculo mentis prudentia, de-
sperata tollere, praua corrigere, fulcire recta, propul-
sare iniurias & calamitates. incolumitatem regni
& fortunas ciuium tueri, & quae huc pertinent, ar-
dua omnia: in his omnibus, non ad ostentationem,
penè puerilem, aut nominis celebritatem inanem, o-
pus esse litteris intelligebat. Ac sanè sine litteris pleriq;
mortalium vel nihil vel parum admodum vident:
quiq; adeò sine litteris aut natua luce ingenij aut di-
uturno rerum usu multum videre existimantur; ij-
dem duplum viderent benè educati & eruditi litte-
ris, nec specie aliqua à recto auerti queant, quod illis
per sepe etiam accidit. Littera & recta, & tuto, &
si non subito, nec tamen serò, ducunt ad sapientiam,
quae est regnorum & ciuitatum tam inter sauisimos
fluctus & grauissimas tempestates, quam caelo sereno
& mari tranquillo, regis gubernaculum siue ipsa gu-
bernatrix. Est enim gubernatoris manus, & guber-
naculum, mens & animus, sapientia. Ex iis porro,
quae à me dicta sunt, non solum humanitas regis elu-
cescit, sed multae etiam virtutes aliae. Nec possunt v-
ni non comitari caetera: nec inueniatur vir bonus,
quin & praeditus sit reliquis: quod ut primum una
ex omni-

ex omnibus deficit, de illius praestantia tantum de-
dit, ut qui prius diceretur, deinceps ne haberi quidem
ille possit. An vero non ipsum regiae liberalitatis iu-
bar oculos vestros praestrinxit? an non itidem pru-
dentia & iustitiae radij ex eadem humanitate fulse-
runt? nec potest latere magnus & excelsus eiusdem
animus. Ab humili enim & abiecto illiusmodi fa-
cta non emergunt. Nec quis maiora pulet, bellum
gerere, in acie conflagere, arces munire, exercitum a-
lere, arma parare & comneatum, victoria potiri.
Haec enim & ab aliis administrantur, quibus illae
laudes non competunt. Quod si quis tamen de iis do-
ceri aueat, bellum diuturnum gessit & graue, eoq;
sublato, pacem restituit, & otium suis populis ita con-
firmavit, ut qui neminem lace'ssuerit, ubi ex re di-
dicisset, quantum in bello mali, quamq; omnis o-
mnium iis motibus felicitas laderetur, a nemine
quoq; lace'ssus fuerit: eratq; ille a copiis, ab erario,
a comneatu, terra mariq;, a ducibus & consilio
ita instructus, ut nullius hostis potentiam extimesce-
ret: quae omnia curet prudens & fortis animi prin-
ceps. Prudentia vero cum, in otio semper ali-
quid gerere iubeat, quid non egit ille consilio suo et sa-
pientissimi senatus? ut pietas sine disceptatione

coleretur, ut materia nusquam esset intestinorum,
motuum, ut ius æquum diceretur, ut omnes tui es-
sent ab iniuriis, ut mercimonia exercerentur, nec
quis sibi à grassatoribus piratisue metueret, ne fames
in aliquam insulam, aut oppidū, aut villulam tot gen-
tibus hinc inde disseminatis, inuolaret, aut serperet:
ut importarentur ex vicinis prouinciis et longinquis
etiam terris necessaria: quamquam multo plura ex-
portarentur in alterum litus, quib. amplæ et frequen-
tia ciuium celebres vrbes carere nequirent, longeq; i-
tem gentium, quæ nauigia aliis copiosis & multipli-
cibus mercibus onusta, iter in Daniam relegerent.
Sed omnes partes, siue rationes prudentia uno loco
concludere nec ipsa conabor, nec fieri possit. Hæc e-
nim omnes virtutes, & quidquid est honestarum a-
ctionum dirigit, & vita modesta, temperatrici volu-
ptatum corporis, prasidet. Neq; vero his indulgit rex,
sed cum ab impurioribus abhorreret, easdem in uno-
quolibet detestatus fuit: nec somno indulgit, nec igna-
uo otio: cum cibos haberet in mensa sic paratos &
conditos, ut mos est culinae regia, non contempsit vul-
gares: quin hoc genere libenter fruebatur: nec mi-
rum, qui vel è venatione, vel è peregrinatione famem
adferret & sitim: quæ incommoda, ut falsò iudica-
tur,

tur, paullo fortunatiores longè fugiunt, pra sinistro
deliciarum studio: cum verius commoda sint, qui-
bus insalubres delicia declinentur, & hoc pacto panis
ater & ius Laconicum vincant omnes delicias. In-
uitabat quidem ille se largius, siue id erat ex hoc cœ-
lo, siue è moribus & harum & istarum gentium, siue
è prima consuetudine, ut homines semper aliquid
prætexunt suis erroribus. At nos non minus rectè lo-
qui, quàm rectè sentire par est: nec laudare, nisi re-
cta: nec minus rectè pingere: nec in ea, quæ ab homi-
nibus non capitaliter errata viderimus, acerbè &
contumeliosè inuehi. Valeat igitur, quisquis ille fu-
it, qui causæ seruens, ut alteri scepro liberum sub-
ijceret, & hoc regnum maiestate spoliaret, ut Ther-
sites vel Scythæ quispiam, regem laudatissimis regi-
bus non inferiorem contumeliosè adoriri ausus fuit:
non intelligens, aliud esse classem & exercitum, ali-
ud dicacitatem & plaustra orationis maledicæ. Hæc
nostra non est ratio. Etenim malos mittimus: pro-
bos siue mediocres ferimus: qui præstant cæteris, eos
debitis laudibus afficimus: atq; hi si quid ut homines
fecerint, minus probamus: neque tamen ad viuum,
unguem refecimus singula. Ecquæ vero intemperi-
es agitant mortales, ut tum sua inter se vitia obser-

uent & exagitent, tum probabili etiam ratione & bono animo facta malitiosè calumnientur? cum nemo sine labe natus sit, & quadam sint omnibus communes, quadam in singulis. Atq; ita comparatum est, ut maculosissimus quisq; non iam sui similes, sed probos & innocentes petat maledictis: atq; adeo ne quidem sanctissimis parcunt. Sed iam te audiemus, Elmana, de laudibus herois IULII: ego dixi de rege FRIDERICO, ex iis, quæ memineram, pauca: quædam olim in funere explicata sunt ab eloquentibus uberius: quibus cum nostra non dissentiant: forte ex hisce, quorum mihi ipsa conscia estis, cognoscent alij, quæ prius non acceperint, aut si cognita habuerint, recognoscent libenter, non ob orationem meam, (malui enim propriè loqui, quàm splendide) sed quia virtutis recordatio quemq; non pessimū iucundè afficit.

Hic igitur cum appareret orationi finem impostum: Amamus te, ò nostra soror, inquit Rhoduntia: & hæc, vident, ut elata letitia gestiant: Et conuersa ad alteram: Altera, inquit, tuæ partes sunt, Elmana. Ibi Elmana: Nec vero tuæ nullæ erunt deinceps. Nunc tibi parebo, ut inter nos conuenit initio: etsi illam totos dies audire malim, vel te, Rhoduntia, ordientem, quod tibi cūq; videretur. Erit autem mihi facili-

us, quo-

us, quoniam, ut augurabar, me mirificè erudiit soror,
quasiq; dicendi leges tulit, à quib. non longè digredi-
ar: eritq; mihi eius exemplum regula. Bellè nobis re-
gis tui præstantiam pinxisti humanitatis nomine. Ut
enim à corporis insigni nota scimus hominum alios
Crassos, alios Longos appellatos: ita de partium siue
dotium animi præcipua ut quis appelletur, nihil ve-
tat, qui aliis etiam virtutibus sit ornatus, ut illi nihil
quoq; de membris desiderabant. Sic Athenienses A-
ristidem Iustum, Romani Catonem Sapientem no-
minabant. Non tanta vis est in appellatione diuitis,
aut oratoris, aut poëta: etiam si aliquo horum nomi-
num certus aliquis indicetur: nec tamen inficier, su-
am poëta laudem, oratori suam rectè tribui: nec cen-
seam opes abiiciendas, quibus tibi, tuis, amicis, pa-
tria uti possis. Suspecti etiam mihi sunt Magni, Ma-
ximi, Clarissimi, à rebus gestis ita dicti: rectè &
laudabiliter, si illa virtute & prudentia sint admini-
strata: etsi neutram ab altera separo, sed unam alte-
ra comprehendere, vel unam esse in altera censeo. Phy-
sicones autem & Auletas derideo. Quid enim regium
in abdomine? quid in tibiis? Hieracas, Poliorcetas,
& Ceraunos abominor. Non sint reges accipitres,
nec euerfores urbium, nec fulminatores. Quid inter
volu-

volucres accipitre rapacius? quid fulmine terribili-
us? Euersio autem urbium, quæ est deletio rerumpu-
blicarum, hominum, tanquam pecudum, trucidatio,
& superstium felicitatis abolitio: hæc sunt Echæi,
Busiridis, Phalaridis, Dionysii, Neronis, Moschi,
& Turca: non regis, non hominis. Minerva poëtis
est Poliuchos, Latinis dicta custos urbium: Iuppi-
ter itidem Poliuchos & Polieus, custos & conserua-
tor urbium, & ciuitatum, & humani generis & fe-
licitatis hominum. Hic est pater omnium, & uni-
uersorum Euergetes: huius, qui & primus imperia
saluti mortalium condidit, exemplum sequi, & man-
datis dicto audientes esse reges oportet, & hoc unum
agere, luxu, potentia, vita deniq; posthabita, ut sint
patres patriæ, & non tam nomine, quò tamen nihil
suauius, ipsumq; adeo, quod non sine causa tanti tibi
est, humanitatis, quàm re ipsa semper Euergetæ. Atq;
hæc bene de populis siue de uniuerso genere mortalium
benè merendi ratio, multiplex est: & meritis merita
comitantur, neq; posse videntur à se mutuo diuelli.
Cura enim regia siue paterna (regis enim & patris
eadem vel similis, nisi regis etiam superior et maior)
tanta est, ut si in unam rem vel singulariter intenta
sit, esse uideatur, minimè tamen omittat ex neces-
sariis

sariis vel minimam. Sic studuit rex FRIDERICVS
humanitati, ut eam eximiam sibi parauerit et huma-
nitate tandem plenissimam adeptus sit, ob signatam
praconio tuo siue veritatis: sed idem regiarum vir-
tutum nullam praetermisit: immò omnes vel humani-
tati seruire optabilem seruitutem coëgit, vel humani-
tate complexus fuit. Sic enim ex iis colligo, quae à so-
rore nostra dicta sunt. Dabo, & sic res est, huma-
nissimum fuisse heroa istum tuum: nec tu iccirco me-
um ab humanitate excluderis: à quo qui absit, ille
iam hominis nihil habeat, (ut ar enim & ipsa verbis
Limenidos) nedum principis. Conseruauit autem
inprimis pacem: ac studia pacis in rege aliquo vix
exstiterint hoc saeculo, quanta in heroe IULIO, ut qui
pacificum dixerit, suum ei nomen attribuerit, non
minus quàm poëtarum princeps heroum cuiuslibet su-
um. Non enim magis Vlysses oppidorum expugna-
tor, Nestor equum domitor, pedibus velox Achilles,
rex regum Agamemnon fuit, quàm pacis assertor
IULIVS. Hic igitur, uti te, mea Limeni, modo per
latissimos humanitatis campos cursum facere audi-
uimus, ita mihi modo non minus licebit per amenos
siue aureos pacis hortos inambulare. Primum, quae
de Marte & terrima dicuntur: his contraria nonne

E

otij

otii custodi conuenient? Ad Martem autem hæc sunt:

Ἄρες, ἄρες, βροτολοιγὸν, μιαιφόνε, ταχέσιπλήτῃ.

Pestis hominum est, sanguinis effusor, concussor mœnium. Nihil non importat mali: in urbibus efficit solitudinem, respublicas delet funditus. Qui insano illi Marti insanam seruitutem seruit, nihilo est melior. Itaq; Et hunc execratur bellicosissimus etiam ipse, sed alterius Martis cultor, heroum flos summus, Achilles.

Ἀφροίτωρ, inquit, ἀθέμιστῃ, ἀέσιτῃ ἐστὶν ἐκείνῃ,
ὃς πάλεμα ἔραται Ἰπιδημίς, ὀκρούεντῃ.

qua oratori Romano interpretari visum fuit. Hic igitur ita, Et magnificè: Nec priuatos focos, inquit, nec publicas leges videtur, nec libertatis iura cara habere, quem discordia, quem cades ciuium, quem ciuile bellum delectat: eumq; è numero hominum eiciendum, ex finib. humana natura exterminandum puto. Vterq; diuinitus. Pedem enim profecto, si in nostra manu sit, ei in orbe non demus, qui ordines in ciuitate perturbet, qui bonas leges è medio auferat, qui suam ciuiumq; rem familiarem euertat. Fundamentum enim coniunctionis hominum concutiunt, vincula incidunt, animam enecant. Familia enim fundamentum, ordines articuli Et nerui sunt, leges

leges anima & vita ciuitatis. Inhumanum igitur bellum & tetrum & execrabile: contra nihil pace optabilius. Etenim sublata pace vel leuiter debilitata, quid manet inter homines integrum? Percunt omnia seu vilescunt, quibus alimur, quibus vestimur: ipsa tecta, sub quibus habitamus: leges periclitantur, virtutis studium friget, è medio sapientia pellitur: plorant mulieres, queruntur liberi, dolent mariti: nomen etiam perit quietis & suauitatis: nec recuperandi boni spes, nisi in altero Marte, illius aduersario. Igitur

— Pax optima rerum

Quas homini nouisse datum est, pax vna triumphis
Innumeris melior.

Videte, an huius instaurator maior haberi debeat, quam conseruator? Illic erat interrupta, hic continuatur ciuium felicitas. Amissam reddere, vel periclitantem restituere herois est: nec minus herois dispicere & cauere, ne quà labefactetur. Hoc fit vel conciliandis iis, qui inferre bellum possint, vel deterrendis hostibus. Dux vero IULIVS & ex vicinis, & è longinquis irritauit neminem, omnes beneuolentia prosequutus semper fuit, & ita domi omnia administravit, ut nec inopia in arario, & copia per regionem esset virorum fortium, & arces, vrbesq; muni-

E 2

ta, nec

ta, nec desideraretur in menses annosq² commeatus :
deniq³ prudenti principi praesto semper fuerunt lectis-
simi duces militia, qui Martis etiam arcana nossent.
Quare neq³ quisquam inferendi belli causa aliquid
habuit, cum omnibus etiam occasionem praeciderit :
Et si quis animo fuisset turbulento et inimico, quam-
uis ipse etiam potens, illum quidem frangerent Et de-
terrarent, quae recensui. Igitur de die in diem se ma-
gis confirmavit, Et illo diuino otio pacis studia Et i-
pse coluit, Et à suis coli gauisus fuit. Summa enim
optima rei omnibus occasio, Et exemplum principis
ante oculos. Etenim auspiciis ducis IV L II unus-
quisq³ tuebatur suum ordinem : erant manentq³ ho-
die collegia pontificum : florebat equester ordo : abun-
dabant ciues in oppidis : in vicis Et villis agricola
fruebantur otio. Haec conseruatio felicitatis ordi-
num, etsi pacis propria est, cui minus esse regia hu-
manitatis videatur? Ad eandem hanc pertinet, quod
pacis quoq³ studio viget maxime, rei familiaris tu-
enda augendaq³ ratio, aliaq³ priores oeconomia par-
tes. Sed harum omnium explicationem non medi-
tor. Ipsam patrisfamilias vitam ante omnia specta-
bimus, quod ex hac dependent mores omnium in adi-
bus. Loquar igitur de duce IV L IO, ut de priuato,
qui ta-

qui tamen vniuersa sua reip. personam sustinebat:
quod hinc, ut soror quoq; nostra assererat, maximè
videtur, cuiusmodi quisq; sit. Mirum relatu est, ut
ille temperanter vixerit, ut moderatus fuerit corpo-
ris voluptatibus. Quis ex eius ore verbum audit,
quod vel tenerrimas aures impuritate offenderet?
Ut illa de rege suo verè dixit, hic etiam HEDVIGIN
Marchicam unicè habuit carissimam: Et hac re
non minorem ipse laudem, quàm regem audiuius,
sibi peperit. Alimenti autem vtriusq; sæpè minò etiam
sumpsit, quàm natura requireret, cum interea gra-
ues quotidie labores subiret, nec rarò totas noctes per-
uigilaret: sæpè quoq; sibi ieiunium imperabat: atque
ita sobrius semper erat, ut si hac in parte censuram
per Germaniam ageret, luxum valdè minuisset, ebri-
etatem exilio multasset in perpetuum. Exemplo ta-
men Et seueritate ex aula ipsam exterminauit. Vi-
deres igitur omnes sobrios, aut vinolentos sese in cry-
ptas abdere. Merito enim conspectum heri fugie-
bant, quem irritare graue erat, placare haud facile.
Nihil enim eo seuerius: durus videbatur interdum:
Et hoc humanum habebat, idq; ab vltima radice
gentis sue regia. Hauserat hoc de Mauortii maiorū
animis à prima origine: nec se ignorabat, quam fa-

cile, et quàm grauius adficeretur. Est animus, quod
Θυμοειδὲς sapientes Græci nominant, in omnibus, sed in
regibus maximè: ut in summis quoq; naturis est a-
crior cupiditas, quæ & libido dicitur. Hæc coërcen-
da, illa in gyrum rationis agenda est. Tertia enim,
hæc est, sed dignitate prima, quam diuini spiritus tra-
ducem agnoscimus: qua potissimum sunt homines,
& ad calites accedunt proximè. Iure habet ratio
imperium in ceteras: ut raro efficiatur, ut altera non
seruire nolint, pauci mortalium intelligunt. At vero
in quam paucissimis ratio suum decus tuetur? Cum
se se nosset dux IULIVS, & huius sapientiæ non leuem
vibrantem mente cernebat, sæpe se retexit ipse, & in-
gentem suum animum, à suis modò statim, aliquando
lentius, flecti passus fuit. Intelligo senatores cum au-
toritate & sapientiâ, qui duci familiares & dilecti,
quo loco, & tempore, quaq; orationis figura quid ex-
plicandum, viderent. Nec raro dixit, hac parte se
fuisse infeliciorem, cui in prima educatione non o-
mnia obtigissent. Illud enim verum, à prima infan-
tia animos flecti, nec nisi maxima cura etiam heroi-
cas naturas subijci imperio rationis: idq; rectè non
nisi ab aliquo Chirone fieri: & esse ad miniculo litem-
ras: & studiis sapientiæ deinceps gubernari vitam,
ut nul-

ut nullus dies accurata auditione, aut lectione, aut
 meditatione prorsus vacuus abire debeat: si quis in
 moribus & vita & in consiliis sibi constare, & cur-
 rere recte rationis spacium constanter velit: quod est
 viri boni & principis boni unicum atq; semper ar-
 duum munus. Itaq; quod summum beneficium in fi-
 lios conferre potuit, id contulit statim. Educari,
 (quod verbum, ut multa? & vix volumine expli-
 canda comprehendit.) & bonis litteris erudiri fide-
 liter iussit: nec unum diem hoc studium intermittere vo-
 luit, quamdiu vixit. Et cura vero hac, & felicitate
 educationis superasse mihi videtur omnes principes.
 Argumento est dux HENRICVS IVLIVS.

θεμιστιον ὅς ἀμφέπιδ
 σκῆπτρον ἐν πολυόλβω
 σαζενία· δρέπων μὲν
 κερυφὰς ἀρετῶν διὰ πιασῶν.
 ἀγλαΐζεται δὲ καὶ
 μουσικῆς ἐν αὐτῷ.

Qui legitimum sceptrum tenet
 in felice Saxonia: carpens de sin-
 gulis virtutibus apices: idemq; et-
 iam in flore musica refulget.

Nam quod Thebanus de Hierone cecinit, non mi-
 nus in hunc conuenit: quæ mihi de eo visum fuit di-
 cere, quo essem breuior. Argumento est quoque fi-
 liorum ducis IVLII fraterna conspiratio: quæ non
 cadat, nisi in benè educatos & bonos: quod fateri ne-
 cesse est, qui impotentiam dominatus inter mortales
 intelligunt. Perpetuum illud sit quatuor germanis
 bonum:

bonum: & erit, quoad litteras in precio habebunt.
Litteræ enim eos & sapientes, errare non sinent erro-
rem, ipsis inter se & patriæ grauem vel exitiosum.
Ni longum foret, de reliqua familia omnium ordi-
num singulatim dicam. Omnes ita amauit, ita or-
nauit dux IULIVS, ut humillimos non præteriret, se-
natum & equestrem ordinem, primo loco haberet,
medios medio: nec querela officio fungentium au-
direntur. Quod ad suppellectilis custodiam & am-
plificationem rei familiaris, alia ratio est. Priuato-
rum: aliter res suas reges & principes administrant.
Gerunt enim per alios pleraq; quorum fidem per spe-
xissent. Fecit hoc dux IULIVS in tot præfecturis: sed
ipse tamen, quid quisq; qua fide singula ageret, ani-
mum aduertere, & secum, quoties publica negotia
permittebant, rationes accuratè putare: quid cui qua-
re acceptum expensumq; ferretur, cognoscere, nec a-
liquod seduli patris familiæ munus negligere: ita de-
niq; sese gerere, ut parcus pater familias, qui esset ta-
men etiam princeps munificus, & re postulante, ma-
gnificentia par regibus. Cum argenti, variorumq;
metallorum copiam fodinæ ministrarent, non con-
temsit hanc naturæ beneficentiam, sed inuestigauit
metalliferorum montium, venas diligentius &
profun-

profundius. Quidquid horum fecit, rege dignum
fecit: tum ut promptius beneficeret, tum ut pro rep.
semper in arario satis esset, tum ne opus esset, maiora
vectigalia extorquere, aut novos census ciuibus im-
ponere. Mirum, talium inuentionum expilationes
passim pro inuentis sapientia haberi, quae principum
dignitatem infamant, & populis exitio sunt: & ad
motus intestinos calamitatesq; tragicas viam ster-
nunt. Atqui dolus & vis cum prudentia & iustitia
nihil commune habent. Videtis, ut dux IULIVS in
re familiari se gesserit, ut privato cuiq; sui fundi, vil-
la, horti, sylua, lacus, domus, suppellex, pecunia &
quidquid diuitiarum nomine censetur, omnia illa
manerent integra, & ijs tuto fruerentur domini, at-
que in otio cum facile custodirent, tum labore medio-
cri augerent. Si quid esset controuersia non solum in-
ter ciues, terminari voluit legibus: sed etiam si ali-
qua de re, ut fit in amplis prouincijs, natalis fuisset,
non potentia usus fuit, sed ius suum & ipse accepit ab
iustitia. Praeter autem leges, quibus reliquia imperij
Romani spiritum, fortassis agrè, trahunt, non abole-
uit leges vel consuetudines alias, vel nouas etiam san-
xit accommodatas suis populis. His stare iubebat o-
mnes: qui aduersus eas committerent, non impunè
F habu-

habuerunt, ut omnia ordine, neq; quid absq; ratione fieret. Ac ne minimum in his turbaretur, nullum sine magistratu, sine iudice, locum esse passus fuit. Deniq; Themistion ad arcem suam condidit; in quo iudicum senatus ius diceret, non minus religiose, quam in Areopago viri omni vita inq; omnibus vita partibus spectatissimi. Presidebat ipse saepius, vel presidere iubebat lectissimum ex proceribus: denique praesidem inaugurabat filium HENRICVM IVLIVM: οκνη-
iecto in
anum
ptro. *ἄρον δὲ οἱ ἐμὲ αὐτὸ χρεῖ,* tum ad iudicandum tum ad gubernandum: idq; solemniter, in primatum confesso, cum oratione, plena paterni affectus, plena cura de republica: iustitia omnem salutem & imperii dignitatem firmitatemq; contineri. Ita boni vivebant sine iniuria: coërcebantur improbi: qui ne sanari quidem possent; vel solum vertere, vel hoc iubebat, quod de membro incurabili dicitur, à quo metus etiam reliquo corpori. Caterum, quia educatio pro legibus est: prima enim eius vis, vel quia quasi mater obedientiae: & quia illa ipsa mirifice adiuuatur litteris: iccirco nec oppidum, nec pagum, nec villam, nec angulum in suis provinciis reliquit, quem litteris non consereret. Sed magis etiam negotium instituit: quemadmodum ex illo caelesti satum messem faceret uberiorum.

rem. Igitur ad riuulum, cui Ganna nomen, primas
Academiae lineas duxit, ut adolescentuli singulariter
informarentur. Id cum ex re esset, sed tamen opus
imperfectum videretur; nouum & diuinum consili-
um cepit. Teneros enim surculos è Gandesinis hor-
tis in valles Helmianas transtulit, ut idoneo solo in
iustam arborum proceritatem surgerent, fructusq; i-
pse ferrent reip. speratos multiplices. Eo loco porti-
cus disputantium condidit, plures litterarum magi-
stros acciuit, doctoribus bonas mercedes decreuit,
praemia addidit, iuuentam ad studia optimarum di-
sciplinarum blandè inuitauit, alios sibi alumnos dele-
git, alijs tenuioribus, partim suis, partim hospitibus,
opem tulit: ut verbo dicam, vniuersitatem litterari-
am nouam omnibus rebus fundauit: nec vigilijs par-
cens, nec opera, nec sumptibus: nec id in principio,
quò feruere res dicuntur maximè, sed ad extremum
vite spiritum. Illi Academiae me praesidere iussit: à
vicino luco Elmana sum: ut tu ab hocce portu Li-
menis, à roseto ad Varnum Rhoduntia: sed ille me,
qua caelestium virginum chariorem haberet nemi-
nem, de sese appellauit Iuliam, & ab omnibus hoc
nomine dici coliq; maluit. Quare & nomine Iuliae
triumpho, tum quia mihi hoc nihil honorificentius,

tum ut grata erga summè meritam videar apud omnes. Dum enim ipsa ero, quod semper futurum est, & in fanis ad Elmanas sylvas, non longè à Bructero, propè fontes Alaris, colar: IVLIA appellata, ducis IVLII memoriam religiosè & nullo profusus negotio tuebor. Fauebant initio omnes mihi: ante omnes, auctore duce IVLIO, humanissimus imperator MAXIMILIANVS II. Primis enim beneficiis me ornauit, quæ à tanta maiestate nostrum aliqua exspectaret. Fauebant ordines Brunsvigij: per liberaliter enim se aduersus me gesserunt, ut simile exemplum ex historia non meminerimus. Fauetis vos etiam, quæq; per orbem sorores sunt, remotissima ab inuidia: nec quidquam rectius, quàm ut sumus nobis inter nos beneuolentissima, & mutuis studiis officiisq; certemus: nec in ipsa victoria, vel ego vobis, vel vos mihi inuideatis. Ut vellet mihi, re Rhoduntia ostendit aliquoties. Etenim de mystis suis mihi misit unum atq; alterum: atq; à bruma superiore tuo concessu Aisocles venit. Nomen enim hoc Lycophronea ab arte proloquar, in quo huic contioni non item, ut aliis, tenebra. Officium ille, ut spero, apud me quoq; faciet, & benè merebitur de iuuentute nostra non minus, quàm tot annis hæctenus, rebus relictis, de
Mega-

Megapolitana, vel in uniuersum de iis, qui ueneratum Rhoduntiam è uicinia & è longinquis etiam terris aduennissent. Quo nomine cum passim charus sit, se mihi meisq³, & patriæ & principi patriæ charum esse sentiet, adeoq³ ex re ipsa sensu adueniens. Verum de meis ipsa non minus modeste dicam, quàm de suis sibi dicendum putauit Limenis. Sed omnia hodie feruent in templis meis, & in hortis florent, ut quàm maximè. Nec pauca tamen, ut fit in his infimis uniuersi partibus, desiderantur, quæ qui foris sunt, fortè magis uident, quàm qui domi. Hoc enim etiam est curiositatis mortalium, prospicere magis in aliena, quàm introspicere in sua, & sua, saepe non ita bona, amare, aliena, satis etiam bona, pro nihilo ducere. At ego quæ sim, nisi quæ opus sint, quæq³ desiderentur, intelligam? Nec antistitæ delatus honor, nec munus mihi demandatum sit, & indignè Iulia uocet. Sed de singulis, quæ ad tanti operis perfectionem pertinent, nos etiam aliquando inter nos. Gratificabimini enim mihi, quas cupidè equidem audiam, quum idem utriq³ uidebitur. Nam diuas quoq³ sibi inter se adiumento esse, existimandum est: ni sit, neq³ luna à sole lucem, prout eius aliquid aut copiam optat, mutaretur: & hic illi petenti suæ aduenti illu-

striores radios non negat. Temperabo mihi, ut de
negotio meo, de qua dies noctesq; sollicita sum, nihil
addam amplius. Ut totus in oiii studiis fuerit dux
IULIVS. Et Pacifici nomen sempiternum sibi inuene-
rit, commemoratum à me satis existimo: atq; ita i-
psa etiam, non omnem dicendi materiam persequuta
sum: dixi, quæ dicere in animo habebam, siquidem
audire me voluistis, penè omnia. Ex iis apparet,
tum quàm plerisq; Et superiorum Et huius sæculi re-
gibus dux IULIVS præstiterit, etsi contentionem non
facio, quòd inuidiosum putatur: tum quàm maiores
vsq; ab HENRICO LEONE ad vnum omnes tribus
rebus vicerit, ut de rebus secundis non dicam, quas
Dei beneficio præter omnem spem adeptus fuit. Qui
enim tertius filius in imperio patris successionem ex-
asse non sperabat: etsi successit, cum patre penè inspe-
ctante duo maiores natu filii in acie aduersus hostem
fortiter pugnantes in ipsa victoria occubissent: de
accessione noui imperii suspicari non potuerat. Vicit
autem, Et quidem hæc in potestate erant ducis IULII.
nec nisi ab ipsius heroica virtute profecta existimari
possunt: vicit, inquam, pacis custodia, filiorum edu-
catione, Et Academia fundatione. Quæ singula tan-
ta sunt, ut ex eorum unoquoq; gloriam sempiternam
sibi pa-

sibi parauerit. Neq³ diuina ista merita silentio obrui
patiar. Gaudeo etiam, huius mei grati in ipsum stu-
dii emulos me videre passim multos, qui cum virtu-
tis heroica decus praclare intelligant, eadem calamo
diuinitus illustrent. Gaudebo quoq³ me ab aliis in hoc
superari: ut quae neq³ cui praestantiam, neque virtuti
praemium inuideam. Ne quid autem desideretis, v-
num, quod praeterire falsum sit, consilio me in hancce
clausulam referre credite: quodq³ ille in ultimo vita
actu declarauit maximè, quanta pietate Deum ve-
neraretur, cui vixisset in hisce terris, cui animam
redderet, cum certa eiusdem recuperandi spe in caele-
sti patria. Et vero pietatem in omnib. vita partibus
probauerat. Quid egit, nisi implorata precibus &
suspiriis ope diuina? ut detestatus fuit turbulentos in
Ecclesia docentium contentiones? quod quantumq³
posuit in sarcienda concordia studium? quos in hac
re sumptus fecit? Atq³ curam hanc ei cum aliis com-
munem fuisse fateor, quib. laudis etiam tantumdem
debeatur. Decet hac sancta cura reges: nec est tamen
prudencia mortalium: rex uniuersitatis hoc negoti-
um semper direxit, & diriget deinceps iis modis, ad
quos mortalitas obstupescat. Mihi vero si libeat hic
esse longiori, non licet: nec est res huius loci, cui à me
satisfa-

satisfactum arbitror. Nec tamen hoc ambitiosè dictum existimes, Rhoduntia. Rei enim non satisfacere tibi, quæ me dicere iusseris, satisfactum putabis, ut benevolentia mutua dignum est. Quod si me luculentiora flagitas: ne negare videar, quod tibi de ingenio meo persuaseris, in alium locum & in commodius tempus te reiiciam. Nihil est, inquit Rhoduntia, quod hoc labores: nouimus nos: quin rei satisfactum puto, non solum mihi, quando ambæ dixistis, quod res esset. Nec tibi enim, nec illi verbum excidit, à re discrepans. Laudem veritatis etiam homines vobis tribuent: etsi inter eos inuidia & reprehensio: sat scio, nec boni inuidebunt, nec mali habebunt, quod carpant, etsi in hoc toti, sed frustra tamen sint. Neq; non vnius sanum iudicium millium calumnia anteponimus: quæ ut cælo, si terris semper exulet.

Rectè ais, inquit Elmana: sed quando ordo ad te pertinet, te quoq; audiat hic sacer cælus virginum.

Ac statim Limenis: Nec aliud mihi videtur. idq; te & huius & meo nomine rogatam volo: ac ne dubites, quid à te dici velimus: quod scilicet ad te pertinere intelligis: est sponsæ auia, iam apud cælites degens, ELISABETHA Cimbrica: est auus sponsæ, heros VLRICVS, in cuius tu comitatu eum locum tenes,

nes, quem ego apud sponsa fratrem, regem CHRISTI-
ANVM. hęc soror nostra apud sponsum ducem HEN-
RICVM IVLIVM: locum aio, in vulgus obscurum,
sed pœnitendum nostrum nemini. Quid autem re-
fert, cum illo nihil obscurius? Ibi tum arridens
Rhoduntia: Non ita, inquit, conuenerat, nec erat
hoc propositum initio. Faciam tamen, quod cogitis
rogando: & faciam promptius, quod aui & his festis
diebus suas quoq; deberi laudes, & ipsa sentiam:
Sancta fuit heroina & in regia magnificentia mode-
sta: omni decore matronali ornata præ plerisq; regi-
nis. Cum esset specie pulcherrima, studuit, ut forma
præstaret animus. Sed cum species annis flaccesceret,
ut in mortali: animus tempore euasit pulchrior &
perfectior. Itaq; ut in pulchritudinem vultu oculi o-
mnium olim coniecti fuerant: ita animi intelligentium
ab altera, neq; fluxa animi ipsiq; pulchritudine, aciem
nūquam auerterunt. Fastū in aliis ferre non poterat,
nec delicatum otium: luxum vero, in quo profusio et
voluptatum corporis studium, detestabatur in omni-
bus. Fecerat equidem gynæconitium suam ELISABE-
THA sanctimonie & pudicitie templum, silentii &
laboris officinam. Vbi enim lingue intemperantia &
otii licentia esset, ibi fieri non posse iudicabat, ut ani-
mus ad

G

mus ad

mus ad pietatem & decus aspiraret: & hoc multo
minus in deliciis & luxu regio. Videres heroina vir-
gines, habitu mundo & simplici, a sidere domina ad
telam & colum: surgere cum ipsa iuberet: loqui cum
ipsa quareret: in eius etiam nutus singulos intentas,
non ut heræ, sed diuæ alicuius, quam omni reuerentia
colerent. Nam, quas, ut vulgus & in licentia edu-
cata, dicerent duriter haberi, eas magna animi bene-
uolentia prosequeretur, de quibus iis ornandis diligenter
cogitabat: dilectissima cuique, hoc est, modestissima et
diligentissima, cum primis de luculentis nuptiis pro-
spiciens, eidemque dotem vel augens, vel, si tenuior es-
set, largiens. Habebant eandem quoque magistram tu-
enda rei familiaris. Non id multa ex fortunatoribus
faciunt, quarum conditio inferior multo est, vel et-
iam humilis, quod regina non neglexit. Nihil erat
in arce & aliis per prouinciam palatiis, quin memo-
ria teneret: ne quid periret, ac ne quid desideraret.
Quapropter in officio quoque magis fuit passim fami-
lia: qui omnium rationem, ubi domina videretur,
essent reddituri. Nec se indignum existimauit, rem-
rusticam videre: prima etiam matrem familiam dignum
negotium: ut se habeant in fundis segetes, ut in hortis
herbæ & arbores, ut in stabulis siue pascuis armenta
& pe-

Et pecudes, quid sub dio vel in adibus agant serui,
quid ancilla. Frons certe occipitio prior esse dicitur:
praesentia domini dominaque, vel horum praesentia praesensio acuit Et villicos, Et villicas Et ceteram familiam. Sed haec quis diligentia colligendi Et tuendi existimet, Et haud esse tanta principis, à qua videlicet quisque beneficium speret. Iniuria Et expilationes indigna sunt regibus: iisdem si digna liberalitas, digna itidem parsimonia, utraque suo loco. Quod enim quis habet, quod conseruat, quod inuenit, de hoc largiri recte potest. Nec vero suas virgines solum ornavit: nec aliis negabat, quas pudicas, probas, laboriosas audiret. Bene item fecit litteris, litterarumque praecipue sacrarum cultoribus, quos vita tamen puritas Et sanctimonia commendaret. Etiam sacris virginibus munifice Et sollicitè prospexit, cuius bonitatis illustre exemplum edidit in Rhuna, in ripa Varni supra Bucephaleam. Itidem passim probis miseris prospexit, qui morbis, laboribus vel aetate fracti essent, ut manu victum parare non possent. Hoc non est misericordis animi solum Et benigni, sed prudentia etiam, plus quam muliebris, quam tamen de heroina ingeniorum existimator sibi polliceatur. Prospexit igitur etiam posteritati in aliis largius. Namque Et tem-

G 2

pla Et

pla & arces condidit & ornavit: nec de hortis dicam, quorum fructibus & amœnitate ipsa quoque fruebatur: totas sylvas idoneo loco consevit, partim ad pastionem, partim ut ligna foco suppeditarent, & mali nauigiis. Nec minus singulari coniugis prudentia, quæ curiositatis nihil haberet, quàm cæteris virtutib. delectatus fuit dux VLRICVS. Vt autem maritum, ut generum obseruaret, ut filiam reginam, ut liberos regios, nepotes neptesq; amauerit, quid atinet predicare? Huius enim beneuolentiæ cursum non inhibuit. Ad extremum enim iterum traiecto mari cum marito, generum, filiam, nepotes neptesq; visum venerant: atq; ipsa, dum hoc insigni pietatis munere persungitur, (nam & fama tum innotuit, eam cum genero & filia graues sermones instituisse, quas si opus esset, Limenis exponeret: in argumentis vel primum fuisse suspicor educationem regionum liberum) & in Falstria portum Germania proximum à suis summo studio deducta, febre corripitur. Ibi abiicit omnium rerum caducarum cogitationem, quas tamen etiam antè pluris haud fecerat, quàm cui, per sapientiam & pietatem, in Deum, liceat: eo loco non ipsa quidem viuere, sed inter mortales viuere desit: & fato functa, hoc quoq; fatum heroi-
cum

cum nacta est. Non enim ELISABETHAE Cimbricæ memoriam, quod in nobis est, unquam sinemus intermori. Et huic sacro audientium gregi, inquit Limenis, Et rei abs te soror, ex una parte satis esse factum puto: non flagitamus aliud, sed Et alterum, exspectamus. Alterum, inquit Rhoduntia, si queam, declinare malim: sed de auctoritate vestra faciam, quod cupidè nihilominus faciam. Aueo enim, ut debeo eum ornare, per quem ipsa sum ornatior. Annis abhinc quinquaginta in quo squalore iacuerim, tu vicina soror, vidisti: tu, auditione accepisti, Iulia: etsi aliorum Et reip. calamitas erat illa magis, quam mea. Vita enim nobis ipsa sumus, Et male nostrum nemini esse potest, quæ cum cœlitib. æuum degimus. Sed tum me visam, squalidam respexit prior ELISABETHAE Cimbricæ maritus, sapiens princeps, MAGNVS: sed magis demceps huius fratres patruelles, ipsi fratres germani IOAN. ALBERTVS, & VLRICVS, duces Megapoleos. Erat ille supra modum beneficus: Et præclaris suis meritis inuenit gratum aliquem, immemores beneficiorum plures. Me vero gratissimam erga utrumq. nostis, utriusq. merito. Vtriusq. enim par in me beneuolentia Et beneficentia: quarum alteram si nominem, ambas intelligatis. Etenim qui

ex potentibus bene vult, idem facit: qui bene facit, i-
dem bonis non bene faceret, nisi bene vellet. Deuin-
ctam uni me perinde, ut alteri profiteor: Et maiori
id ostendi, Et testatum faciam eius item filio, pater-
na dignitatis Et virtutis heredi, duci IOANNI. Dux
enim VLRICVS cum hoc fratris filio mei meorumq;
id est gregis musici ad Varnum rationem habet: pa-
terneq; adeo omnibus nostris commodis prospiciunt.
Libet autem mihi, ducem VLRICVM, Et licet, Et de-
beo predicare, potissimum nomine iustitia. Huic e-
nim, non minus vel magis etiam iusti nomen conue-
nit, quam civi Attico, cuius mentionem fecit paullo
ante soror. Hic enim gessit, geretq; semper personam
publicam, semper pro suis populis excubabit, ut salui
sint. Ille contra, priuatus fere semper fuit publicum mu-
nus gessit in patria, cum populo videretur: nisi quis
aiat, quod facile dem, in tantis meritis nouam videri
conditionem priuati. Etenim vir bonus, publice bo-
num est, tam patrie, quam ciuibus. Nec tamen la-
tet, ubi discrimen habeat. Vterq; enim ut iustus sit,
ad iustitiam quidem uterq; exemplo inuitare potest:
in principis potestate est, qui in deuia deflexerint, in-
tra iustitia limites cogere. Iusti autem appellatione
intelligit, ut de Amphiarao, de Aristide, de Catone

ACCE-

acceptum fuit, quorum nemo videri, sed unusquisque
eorum iustus esse voluit, ut de vate illo predicavit
Aeschylus, de ciue suo Athenienses, de Romano po-
pulus Rom. itidem censuit. Qui vero iustus: idem
& moderatus, continens, temperans: idem fortis &
prudens. Iustitia enim fasciculus habetur virtutum
omnium, aut si hoc, etsi verè, tamen tenuiter dictum
videatur, audite peruulgatam, sed veterem & insti-
gnem laudationem iustitiae: qua ita late patere pra-
dicatur, ut in se virtutes ad unam complectatur o-
mnes. Est planè cum primis absoluta virtus, quoni-
am virtutis usus: perfecta autem, quando ea predi-
tus, non solum virtutem apud se colit, sed ea etiam
aduersum alios vitur, ut ille primus in ambulacro
sapientiae scriptum reliquit. Atque idem acceptum à
sanctiore etiam saeculo: nec vesperum, nec luciferum
aequè esse admirabilem. An eandem solem vitæ lice-
at dicere? Fons vitæ Sol perhibetur, at iustitia fons
est salutis reipublicae. Nec potest vero magis regium,
& magis diuinum, quam iusti nomen dari. quod
vobis mecum considerare libeat. Reges esse Deo quam
simillimos optamus, & ipsimet Deo esse quam simil-
limi siue esse siue haberi expetunt. In Deo haec insunt:
immortalitas, potentia, virtus. Vt autem ridiculi
exsti-

exstiterunt, qui se iusserunt pro diis coli & adorari?
Vnde cum se in deos referrī ab Atheniensib. flagita-
ret Demetrius, Athenienses metu tyranni potentia,
facto huiuscemodi plebiscito, eluserunt eius insanam
cupiditatem: Demetrius, siquidem vult esse Deus,
esto Deus. Quod qui hac ratione ex regibus & ty-
rannis affectarunt, se turpius dederunt, quam vel
Phaëthontem vel Icarum fecisse, poetæ fabulantur.
Potentia, quæ ex fulmine, terræ motu, turbinum im-
petu, eruptione fluminum ipsiusq; maris apparet;
quid nisi terrori est? Homines autem quo terribilio-
res, hoc in maiore odio sunt hominum, & ubiq; in
perpetuum execrabiles. Tertia in Deo est iustitia,
sive virtus: cuius boni ex diuinis, particeps homo re-
ctissimè, ut homo, fieri potest, & huic quisq; & ma-
ximus maximè studeat. Supra hoc iusti nomen alti-
us ex monarchis potentissimus nemo sibi pepererit.
Quodego ducem VLRICVM Iustum nomino, placere
studeo nemini, adeoq; assentationis declinatio me hic
breuiorem facit: quæ tanti criminis etiam suspicio-
nem à me remoueam: etsi hoc suspicari de nostrum
aliqua nemo debeat, qui cogitet de ingeniis mortali-
um. Verum dux meus, iustus ille iustitiæ præses, ex-
terminat huius aduersariam, cum omnibus aliis mo-
dis,

dis, tum panis: atq; et si raro discedit à scriptis legibus,
tamen paternum ipse quoq; dolorem accipit, si quid
durius statuendum sit: Et mauult innocentes tueri,
quàm nocentes plectere: mauult parcere in viam re-
deuntibus, quàm desperatos tollere. Grauem princi-
pem agnoscitis, quo tamen nihil humanius: iustum,
quo nihil æquius: ore Et sermone regio, regio animo,
regis factis: in quem oculos animumq; defigunt prin-
cipes Germania: quem Megapoli Et communi pa-
triae, qui sapiunt, viuere multos annos Et florere desi-
derant. Vos etiam vota vnà mecum pro eiusdem vi-
ta Et salute facite, Et præter hoc grati in patronum
animi specimen, nihil nunc aliud hodiè flagitate. E-
quidem inquit Limenis, in te deprehendimus, Et mo-
destiam Et studium nostri: quibus tibi pares esse
semper studuimus. Nec erit, quod modò velis, ut
tibi non gratificemur. Ego, inquit Rhoduntia, ut
video (mibi certè si videor) meis partibus persuncta
sum. Audire adhuc aliquid velim: nec aures virgi-
num audiendo lassæ sunt. Videtisne ut expectent, ut
attentæ sint? Ibi tum: Ego, inquit Iulia, nihil video,
nisi, ut nouis sponsis precemur fausta omnia. Ibi
Limenis: Aliquid etiam heroi HENRICO IULIO
deberi censeam. Nihil ille desiderabit Limeni, cui

H

omnia

omnia illa prestita. At ego, Iulia, desidero, & for-
san hac Rhoduntia. Huc ibam mea Limeni. De-
libabit igitur Iulia laudes etiam herois HENRICI
IULII. Itane vero in os? At tu, Limeni, quid ais
de minore ELISABETHA Cimbrica? Quam spe-
cie sit diuina videtis, quam regio animo, consentane-
is moribus: mente & oculis in sponsum coniectis: o-
mnino diua auia & heroina simillimam fore augu-
ror. Exemplo tuo Limeni, me quoque diuinam es-
se iubes: quod munus, etsi multi mortalium satis ar-
roganter id faciunt, mihi tamen non sumpsi hactenus.

Dic vero, inquit Rhoduntia, non quantum qui-
dem omnes scire aueant, & tu forte non nescias: sed
quod recte dicas. Mira enim de ingenio ducis tui
semper audiimus. Nihil hoc mirum, inquit Iu-
lia. Rara enim in eo indoles enituit à prima infantia:
cui quam educationem curauerit pater, quam solli-
cite, antè à me dictum fuit: semper cogitans & ora-
tione usurpans, quanti sit à teneris adsuesieri. De
pueri profectu fama statim maiora fide dissemina-
uit, re tamen minora. Quoquo enim se vertit, non
in uno alteroue, sed in omnibus quotquot erant aqua-
lium, superabat facile. Igneus enim olli vigor. Nul-
la nec impuberem nec ephebum auocabant volupta-
tes:

tes: non somnus, non ludus, non exempla otiantium:
nulli deterrebant labores: negotium sibi quietem, vi-
galias somnum etiam hodie videtur arbitrari. Non
afficiendus est ieiunis laudibus, ut in eleganti scriptu-
ra, in venusta pronuntiatione, in palaestra, in musicis,
in latina lingua & aliis, repente praestiterit. Fortu-
natis & potentibus multa tribui fateor, quae ipsi vix
à limine salutarint. Nostra, vera oratio est. Ac
quae modo dixi, in aliis magna sint: in HENRICO
I V L I O erant minima: cui rei testimonio ad vos non
opus est. Nostis enim hac sorores: vos credatis mi-
hi velim, dilectae virgines. Peradolescens differebat
sapere, de religione, de iure, de militia, de scientia ciui-
li, de beneficentia, de clementia. Hinc igitur quis
non perspiceret, non solum ingenii aciem, sed etiam a-
nimum? nec prophanum esse, nec iniustum, nec timi-
dum, amantem patriae, beneficum, semper equum.
Si quid in eo esset puerile, in hoc simul inerat, quod in
puerum non cadere diceres: si iocus & sales & ludi,
conspersa illa semper omnia rore quasi senilis alicuius
sapientiae. Talis erat natura, talis educatio: accede-
bant litterae. Iussusne an iniussus? lectitabat, scripti-
tabat, meditabatur, disputabat: quae ad finem bonum
respicerent. Cupide audiebat quae theologi docerent,

H 2

quae

qua de legibus Romanis explicarent iurisconsulti,
qua de officio & regno homines eruditi depromerent,
qua de imperio duces militia commemorarent: si ne-
mo diceret, quarebat: si quiescerent, iubebat pergere.
Cum alia veterum monumenta legebat, tum histori-
as: ac penè omnium delineationem animo concepe-
rat. Igitur maturè, adeoq̄, ephebus summos honores
adeptus fuit, quibus antè dignus fuisset existimatus,
& semper deinde se dignum gereret. Exploratum in
lapide Lydio Biantis dixerim. Huius enim sapiens
illud dictum: imperio virum indicari. Qui enim
potest facere, quod vult, idemq̄, tamen rectè facit:
de huius demum virtute aliquid certi determinari
potest: etsi ille non quod vellet, se posse facere, sed de-
bere facere, quod rectum esset, existimabat: immo a-
liud non volebat, ut præter officium facere minus pos-
set. Maius hoc et amplius imperium, quod nunc XI.
mensem gerit, magis id indicat, indicabitq̄, quàm
diu in puppe sua Argus sedebit. Vidimus hoc anno,
ut se fraternè aduersus fratres, ut iuste erga suos, ut
erga me beneficè gesserit, ut prudenter in omnibus cæ-
teris. Nihil enim inconsultè agit, qui cum ipse præ-
stet sapientia, tamen de prudentum sententia guber-
nat rempublicam. Cura ei fuit cura admodum præ-
ter les-

ter luctum acerbum, & hoc imperii initium. Non
minus enim humanè patitur. Quam, inquit Li-
menis, mihi curam narras? Interpellans Rhoduntia
ait: quam adhuc videmus, quaq; gratia ille nauem
conscendit, & nos quoq; huc venimus. Sic est, in-
quit Iulia. Ab hac cura, de me sedulo cogitabit scio,
vel iis mandabit, in quibus fides & littera. Fide
quidem in quaq; re gerenda opus est, sed sine litteris
nihil foret hæc deliberatio. Paternum enim benefi-
cium volet esse ratum, atq; id cumulare nouo: atq; ita
conseruatione quoq; paterna gloria inueniet sibi suam
propriam: parè mne an maiorem, dicent posteri. De
suis: quibus pater & pro Deo esse meditatur. De se,
quod est omnium primum, qui fons omnium illius
meritorum. Ideo vero, quia Deus ipsum bonum, ab
eo omnia bona, neq; aliud præter bonum. Rectè igitur
urget heros HENRICVS IVLIVS hoc studium
nobile & regium: quod ipsum Dei esse dicerem, ni
Deus foret ipsa bonitas, qui sibi quod habet & quod
est, parare non potest. In quos contrarium aut mu-
tatio aliquando cadit: iis talis diligentia conuenit,
de qua qui remittit, eum à se desciscere necesse est.
Ante omnia meminuit dux noster se hominem esse:
quod meminisse quàm magnum sit, testatum fecit

H 3

sapiens

sapiens rex Macedonum, qui nobili puero mandarat hoc praconium, ut quotidie à cubili à somno sub auroram prodeunti diceret: Philippe homo es. Quisquis enim hoc in memoria semper habet, quod saepius mortales obliuisci animaduertimus; totus in hoc est, ne quid committat contra dignitatem hominis: quae aut communis est omnium, aut cuiusq;. Maxima enim, cum sit hominis, regis equidem maior est & principis, qui quodam modo suorum populorum rex. Atq; hic princeps, etsi regiam disciplinam perdidicit, sibi tamen non minus opus esse putabit, quasi quodam Phœnice Achilleo, aut Nestore Agamemnonio. Erat Pelei filio Phœnix, quasi alter Achilles, qui sic cum Achille loqui auderet, ut ipse secum: regi Graecorum Nestor, pro certo Dei oraculo, à quo sibi digredi nefas putaret. Sed cum in confesso potentum siue ad regem, vel Nestor timide dicat, vel promoveat minus, nec auctoritas ea sit Phœnicis, ut Achillis animos mitiget, quod ipse quoq; heros noster intelligit; ibit & quietus ante comotiunculam, quotidie ad mutos senatores, ut sapiens Arragonum rex, Alfonsus dixisse & fecisse scribitur. Libri enim nec adulantur, nec metuunt: nec iis lector succenseat: qui faciat, se ipse ludat. Tenet dux HENRICVS IVLIVS,
qua

que poëta fabulis inuoluta, inuenerunt ad vitam bo-
nis moribus & rectis consiliis erudiendam: tenet Cy-
ripadiam, que sola omnib. artibus regis principem
erudire possit: tenet Nicoclem Isocratis, & Dionis
de regno commentarios: multa præterea ex historia
scriptoribus, que principes de officio doceant. Quis
dubitat, quin eadem regustaturus sit? è quibus hone-
stam voluptatem, & mirificas utilitates capiat. In
rebus enim iucundissimis hoc, spectare penè eodem
momento, omnes paries orbis terræ quasi oculis, si-
mulq; res omnibus antè sæculis gestas, quas nosse sit o-
pera precium, idq; tui sine parte pericli, ut ait poëta.
Hoc est viuere, quando non vixisse: hoc ibi esse, ubi
non fuisse videaris. Animus enim profecto in omnia
loca, nec solum hæc depressa uniuersitatis, sed ad an-
te-sæcula quoq; penetrat. Quid utilius & tutius?
quàm exemplis discere quid agas, quid fugias, & in
rep. & in vita domestica: ut te rebus secundis non
efferas, ut aduersas vel consilio mutes vel fortiter fe-
ras. Hæc cum probè nouerit dux meus: præcepta sa-
pientia in manibus habebit, quoties otij aliquid erit
ab negotiis patriæ, & historias cumprimis. Cum a-
lia eum exempla mouebunt, tum sua regia gentis
perillustria, & hæc proxima, que modo explicauim9,
magnis

magni soceri, soceri, & patris. An non quas sibi prima etate leges vite & imperii diuinitus ipse prescripserit, sanctè dies noctesq; seruaturum existimemus? In quibus à potentibus fœdè vel etiam leuiter erratum fuerit, fugiet: quæ cum laude heroës fecerint, æmulabitur: quæ iidem neglexerint, ut suspecta & isto fastigio indigna, vitabit: deniq; semper discet, semper ut rectè faciat: discet autem legendo, audiendo, meditando, agendo, existimando: nec sine hac cura iocabitur, nec ambulabit, nec venabitur, nec cibum sumet, nec somnum deniq; capiet. Hanc spem de heroë nostro mortales valdè fouent, quam de eo, admodum adhuc puero, statim conceperant, & ipse in hunc diem confirmauit in animis omnium: nec fallerit igitur, si quid ex antecedentibus consequens sit, video: video præterea longæuum, felicem & circumfluentem sempiterna gloria. Fecistis enim me audaculam, postquam in hanc arenam, panè reluctantem detrusistis. Timidè dixi multa, potissimum hac de causa, quòd non licitum fuit dicere, ut antè feceram, in quo genere vestra fuerunt partes perinde faciles: sed de futuris magnam partem fuit oratio. Futurū, quò remotius, hoc obscurius est, etiam sapientibus: nec minus nobis, quibus tamen datum est longius prospici-

prospicere. Si quid minus viderim, erudiri ipsa ve-
lim: si longius progressa fuerim, non mea solius cul-
pa fuerit. Nullius hac nostrum, inquit Rhoduntia.
Sic viuamus, ut bene volumus generi mortalium,
& hunc omni decore cumulatisimum, quem modo
verè, parceq; nimium predicasti: cui item recta fau-
staq; vera predixeris, uti nobis quoq; ominari libet.

Vera sis vates, inquit Limenis: & hac vota qua
pro salute herois HENRICI IVLII & heroinæ ELI-
SABETHÆ Cimbrica cum bonis omnibus facimus,
rata sint. His dictis, strepitus in æde diuinus orie-
batur, unde idem precari virgines apparebat: qua
& ipse mitti iam contionem animaduertent. Li-
menis igitur, cum & sorores surgerent, gratias egit
hospitiibus, nec id multis verbis. Tibi vero, inquit
Rhoduntia, debemus. Quin, conuersa ad Iuliam, in-
quit, huic Limenidi gratias referimus, vel eius fa-
ctum emulamur? Vt videtur, inquit Iulia: vel
potius, quid videtur? Tricorèon hoc, inquit, tibi
placet, & qua in eo fiunt, maximè? Non minus,
inquit Iulia, mihi, quàm tibi hæc omnia. Ego in-
quit Rhoduntia, nostro honori Tricorèon etiam in
aduerso littore vel in ripa Varni, vel in ipso foro La-
tino statuam: quo loco nos primum vidimus.

I ca quod

ca quod scilicet fana sunt aliqua: magis commoda loco non potest. Tum te visemus sepius & audiuimus plures venient. Hoc agebam, inquit, Rhoduntia: nec rogandas censeo, quod uliro factura videmini: tamen quod uliro faciatis, ut saepe & quamprimum faciatis, rogo. Nihil moramur, inquit Limenis.

Ibi igitur Iulia: nec ego moror. In meis enim vallibus aut vicino aliquo colle, edificabo nobis Trico-reon-terium: sacrosanctumq; adeo est inter nos ius hospitii. Et inter nos, inquit Rhoduntia, & inter nostras virgines, & mystas uem nostros. Excipit Limenis: Nihil rectius, mihiq; gratius: nihil publice salutaris. Idem mihi gratissimum, inquit Iulia. Accersemus & alias è caelo: & ante omnes Homonean, Philalethean, & Sophrosynen: quas si una aliquando apud me videbimus: solidum gaudium mecum gaudebitis. Tum Rhoduntia: Faciles sunt: si annuas, veniant. Ipsa enim iis multos annos usa sum familiariter: quo nomine longinqua etiam mihi gratulatum, saepe aduenerunt: alii, quibus domo abesse non esset integrum, idem fecerunt per internuncias vel per epistolas. Cum eisdem igitur deinceps amicitiam constanter colam. Crede, nihil mihi hac fuit, nec erit aut suauius aut utilius. Idem &

ipsa ex-

ipsa experta sum, inquit Limenis. Tum Rhoduntia: sed habent eadem tres diras & potentes aduersarias, quarum aliqua ubi pauxillum valeat, ibi nulla illarum vestigium faciat: Deris, Oeesis & Anagogian. Noua mihi monstra narras, inquit Iulia.

Qua, inquit Rhoduntia, mirum, ni tu senseris. Tentant enim non solum certos in orbe populos, sed animos ferè singulorum. Deris enim non patitur inter se conspirare animos hominum, serit suspiciones, maleuolentiam, odia, altercationes, lites, contentiones, aeternas inimicitias. Oeesis oculos mentium fascinat, obuciens mortalibus falsas opiniones, & perniciosas, tatra etiam mendacia pingens veritatis coloribus. Anagogia seruit libidini imperitorum, contumacia mater & petulantia, & impudentia, ac deniq; miseria. Non prorsus hoc me fugiebat, inquit Iulia: idq; erat, ut de illis aduocandis dicerem. A tribus vero earum aduersariis mihi ipsa caueo, & meis mystis, omnibusq; qui se ad me conferent, fideliter consulam, ut illas doctrina, virtutis & otii hostes fugiant & delestentur. Laudo te, inquit Rhoduntia, soror. Conditis igitur utrobique templis, agemus non Eleusinia, ut Athenienses, nec Hyacinthia, ut Lacones, nec Dionysia, ut Thebani, sed Tricorasia,

nec nobis solum, sed tribus illis potissimum diuis, quas
 Iulia accensendas rectè consulit. Atq; inquit Iu-
 lia, ego princeps Tricorasia indixero, si hoc mihi con-
 cedit Rhoduntia. Immo, nihil malo, inquit Rho-
 duntia: ac nisi tu occupares, ipsa iusserim. Amba
 hanc ad hunc portum vidimus: ea me sepè, tu his die-
 bus in ripa Varni: auemus etiam te apud te videre:
 Tricoræon conde, hospitium nobis, & nostris para.
 De quibus cum inter eas conuenisset, ante vestibulum
 consalutatione facta, statim se quaq; cum suo
 comitatu receperunt, quo loco honori & e-
 molumento essent & ipsis regibus,
 & reliquo generi mor-
 talium.

F I N I S.

Græca quibus vti visum fuit, vel in dialogo, vel ad marginem la-
 tinè reddidimus. In nomine ΑΙΣΟΚΛΗΣ est litterarum transpositio,
 qui ἀναρχαμματισμός dicitur. Sed rem accipe. Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Η. Θ. Κ. Λ.
 Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Η. In extremo sunt ὁμόνοια, Φιλαλήθεια, Ἐσωφροσύνη: ne-
 cessaria bona in vnaquaq; honesta societate hominum: concordia, stu-
 dium veri, & modestia siue disciplina. His contraria, ἀνῆσις, οἰήσις ἢ
 ἀναγωγία: contentio siue discordia, quæ & ἐρις, secunda est opinio,
 quæ & ἀγνοία: tertia neglectio bonæ educationis, quam & ἀκαλασσία si-
 ue perulantiam dixerimus: à quibus litterarum & virtutis cultores
 cum primis abhorreant.



EIVSDEM HEROIS NVPTIIS
PROPYLAEON
Alberti Clampani.

Meroum in laudes post interualla resultans
Musa vige & vigila, tacitæ ne sicut Amyclæ
Ob diuturna graui periære silentia fato,
In nihilū recidas. Procul est, vt credere possim,
Sic tibi lauricomos saltus Heliconis amati
Obseptos, vt prisco animum percussa vigore,
Signa sequi nequeas, desuetaq; ad arma cieri.
Præcipuè cum mi quædam diuina voluptas,
Molibus incurrens validis in pectore gliscat
Carmine suauidico claros celebrare Hymenæos.
Guelphiadæ magni, quem maïestate suprema,
Imperio populos regere, amplaq; regna tenere,
Viuenti satiate pater defessus, adegit,
Quàm prius in cœli templa aurea susciperetur.
Ille autem ad commune bonū, patriæq; salutē,
Otio, & illecebris vitæ procul auius, omnes
Intendens neruos, & mentis luminum acumen,

Tantæ molis onus, virtutis amore ministro,
Et valido procerum regni circum vndiq; septus
Præsidio, immisis dudum suscepit habenis.
Et nunc, postquã animi demptis è pectore curis,
Desolata obitu lustravit regna paterno,
Inq; fidem inuictos accepit Saxonas armis,
Icitur aligeri calcaribus intus Amoris,
Virgineum tacita tangens dulcedine pectus
Cæruleæ nymphæ, quæ claro profata Regum
Semine, fluctifrago sinuosæ in litore Balthes,
Martia quæ floret rebus gens Cimbrica gestis,
Intus & ipsa imis exardet tota medullis.
Nec iã habitũ, vultusq; gerit, velut ante, dolentis,
Vt pote largifluo lacrymarum flumine lassa,
Amisisti pridem quærens solatia patris (Etum.
Magnanimum iuuenẽ, & summis virtutibus au-
O æquis igitur similes natalibus ambo:
Ambo pares, orti clarorum è sanguine Regum:
Ambo gradus ascendentes ætatis adultæ,
Et par connubium maturo tempore adepti.
Vnis his tamen infelices casibus ambo,
Quod, prius optatos quàm coniunxistis amores,
Horrida vtriq; sui insedit nox funere patris,
Quæ in concilio velut olim præmeditatis,
Con-

Contigit ante diem humanis concedere rebus,
Nec tædas natorum vnà celebrare iugales. (go?
Sed quid ego hoc vlc^o, obducta^q; vulnera tan-
Quid queror afflicta^æ geminū vno tempore lumē
Europæ excisum? non adsertoribus istis
Tempus eget. Satis hæc, satis hæc algu^q; fame^q;
Solicita^æ gentes, & vos luxistis amantes.
Quin ergo attentos animos, aures^q; reposco,
Atq; aliam blandæ gannitu vocis adulans,
Excanto Aonia ad partes de rupe sororem,
Dum teneris animos expletus amoribus, ad se
Lætus ouans^q; noua redeat cū coniuge Princeps.

F I N I S.



